

Franckesche Stiftungen zu Halle

Ad Solemnem In Facultate Philosophica Promotionem XXX Magistorum, D. XV Febr. MDCCXXV Celebrandam, Rectorem Academiae Magnificum Illustrissimos ...

Breitkopf, Bernhard Christoph

Lipsiae, [1725?]

VD18 1347832X

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-198398



Um rarus sit inter homines veritatis amor, fidesque, quæ sancta esse debebat, fluxa plerumque & lubrica deprehendatur, nullum publicæ privatæque securitatis instrumentum ac vinculum fortius existimatum est, quam jusjurandum, quod sacramentum, quasi sacra & incorrupta mente prolatum, non inepte dixere veteres. Duplex vero haud immerito constituimus juramenti genus, solemne alterum, quod contemptis verbis coram Magistratu, vel in foederibus firmandis, pactisque constituendis adhibetur, alterum minus solemne, & fere proletarium, quo sive in re vera, vel minimi momenti, sive in falsa asserenda, frequentissime abuti consueverunt miseri mortales. Equidem nostrum non est vel ea in utroque nunc excutere, quæ moralitatis ratio Principumve aut Rerumpublicarum leges exigunt, a Juris Naturæ & Civilis Scriptoris integris Commendaris

tariis illustrata; vel in antiquitatem ipsam excurrere, & quæ gentes, quas jurandi formulas ac ritus admiserint, fusius edisserere; ne, ut paucos nominemus, Alexandri ab Alexandro *a*), Barnabæ Briffonii *b*), Iacobi Lydii *c*) & Regiæ in Gallia Numismatum ac Litterarum elegantiorum Academia *d*) serinia compilasse videamur. Id agemus potius, ut jurandi, vel potius, pejerandi formulas, quibus adsuevisse summos Principes animadvertimus, e variarum gentium annalibus colligamus, quo id nos consecuturos quodammodo speramus, ut de illorum ingenio moribusque ac familiari consuetudine, quæ parcius plerumque attingunt historici, paullo rectius constet. Etenim, ut pratermissis exemplis vetustioribus, ab Imperatoribus Romanis initium faciamus, exstat Augusti Cæs. ad Tiberium Epistola, qua ille hunc ita inter alia alloquitur: *Vale. Jucundissime, & ITA SIM FELIX, Vir fortissime. Vale e*); nec insuetas illo tempore fuisse similes jurandi formulas, ut *ita vivam, ita me Dii ament &c.* docent eruditi *f*). Paulo atrocius videtur jusjurandum, quo usus Tiberius Nero, ubi scribit ad Senatum: *DII ME DEÆQUE PEIUS PERDANT, QUAM QUOTIDIE PERIRE SENTIO, SI SCIO g*). Uti vero
Philo-

a) Genial. Dier. L. V C. 10.

b) De Formul. L. VIII.

c) Diss. de Jurejurando, quæ accessit ejus Syntagmati de re milit.

d) Memoir. de Litter. T. I p. 191, T. IV p. 154. ed. Par.

e) Sueton. in Tiber. C. 21.

f) Hansen de Jurejur. Vet. C. 13, Briffon. de form. l. c. Douza & Passerat. in Propert. l. 7, 3, Vechner. Hellen. II, 13 §. 3, Schott. in Senec. Contr. III, 16.

g) Suet. l. c. C. 67.

Philosophi per Sectæ suæ caput jurare consueverant *b)*, ita passim Romanis solemne fuisse, ut per nomina eorum, quos summo in honore habebant, jurarent, vel ipsis C. Caligulæ & Tib. Claudii Imperatorum exemplis patet, quorum ille post mortem nimium dilectæ Sororis Drusillæ *numquam, qualibuscunque de rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites, nisi PER NOMEN DRUSILLÆ dejeravit i)*; hic *jurandum neque sanctius sibi neque crebrius instituit, quam PER AUGUSTUM k)*. Sed festinamus ad Principes Christianos, atque unicum ex Imperatoribus Orientis producinus Manuelem Comnenum, qui PER CHRISTI SEPULCRUM jurasse fertur *l)*. Inter Germanos Imperatores Otto M. & Fridericus Barbarossa, quibus ingens in barba decus positum fuisse videtur, PER BARBAM suam jurare consueverunt, ille quidem hac formula: *Bi Otten Barde m)*, hic vero ista: *Bi min rothen Barde n)*. Conradus Salicus vero PER S. CRUCEM DOMINI *o)* & Wilhelmus, Rex Germaniæ, PER VITAM DEI ET EQUITIS S. GEORGII *p)* jurasse feruntur. De Carolo V et si tradat Gallus quidam Autor parum certæ fidei, quod, cum certo aliquid affirmare voluerit, dextram pectori imposuisse satis habuerit *q)*,
A 3 con-

h) Lydius *l. c.* p. 303.

k) Suet. *Claud. C. 11.*

l) Nicetas Choniates *Libro V in Manueli Comn.*

m) Gobel. *Person. Cosmogr. C. 48.*

n) Cruf. *Annal. Suev. P. III. XI p. 441.*

o) Wippo *in vita Conr. Sal. ap. Pistor. p. 434.*

p) Lehmann *Chron. Spir. p. m. 602.*

q) Varillas *Vie de Franc. I L. 13*, his verbis: *Charles V se contentoit pour assurer les choses de mettre la main sur l'Estomach.*

i) Suet. *Calig. C. 24*; conf. Dio *L. 59.*

constat tamen aliorum testimoniis, eum PER FIDEM VIRI NOBILIS vulgo jurasse r), seu, ut Galli contendunt: FOYD'HOMME DE BIEN s). Simili vel eadem jurandi formula usum fuisse æqualem Caroli Franciscum I, Galliarum Regem, nempe FOY DE GENTILHOMME, sunt qui testantur t). Ut vero ad Galliarum Reges simul transeamus, Philippus Augustus PER SANCTOS FRANCIAE rr), Ludovicus XI PASQUE DIEU, i. e. *per Pascha Domini*, Carolus VIII PAR LE JOUR DIEU, i. e. *per diem Dominicam*, Ludovicus XII LE DIABLE M'EMPORTE, i. e. *Diabolus me perdat*, jurasse memorantur u). Uti vero, Catharina Medicea res Gallorum moderante, Itali, in aula Gallica frequentes, pejerandi & blasphemandi artes damnatas Gallis instillasse creduntur, ita nemo Carolum IX ea in re superavit, qui, etsi esset natura integer moribus & apertus, ita tamen paulatim, præcunte Alberro Gondio Mareschallo de Retz, Florentino, perjuriis blasphem-

r) Jo. Zamoscus in *Litter. ad Carolum Suderm. D. ap. Thuan. L. 127 p. 966* & in *Lunigii Litter. Proc. Eur. T. I p. 938*.

s) Ita & Sandovalium secutus expressit la Mothe le Vayer *Disc. de l'Hist. Oeuvr. T. II p. 241*, qui non sine causa hac asseveratione usum putat Carolum, scilicet quod non ignoraret, Viri dextri ac probi promissa majorem fidem invenire, quam Imperatoris.

t) Varillas *l. c.* & Vigneul Marville *Mel. Hist. T. II p. 167*.

tt) Matth. paris *ad A. 1208*.

u) De his Vigneul Marville *l. c.* ubi & Ducum quorundam bellicorum pejerationes commemorat, his verbis: *Dans le siècle dernier c'étoit la mode à la Cour de jurer. Mr de la Tremouille Grand-Capitaine juroit le vrai corps Dieu, le Chevalier Bayard, Faite Dieu Bayard, M. de Bourbon, Sainte Barbe, le Prince d'Orange, S. Nicolas, la Roche du Maine, Tête Dieu toute pleine de Reliques.*

phemiisque adfuetus fuit, ut non sine summi Numinis vindicta factum quidam existiment, quod præpostera morte decesserit x). Hoc paulo modestior Henricus III PER MEAM FIDEM jurare satis habuit y). At Henricus IV continuo in ore habebat illud: VENTRE DE S. GRIS, i. e. *perventrem S. Grifii*, quem Sanctum cum frustra in Martyrologiis quæri constet, facile fidem habemus iis, qui Henricum puerum ita a præceptoribus suis institutum fuisse perhibent, ut huic formulæ, quæ erat revera nullius ponderis, adfuetus, a blasphemandi libidine avocaretur z). Ludovicum vero XIII nunquam pejerasse, & ejus successorem Ludovicum XIV tantum abfuisse ab illa levitate ferunt, ut pejerationes omnes & blasphemias ex aula prorsus ejecerit aa). Perginus ad Anglos, qui uri omnium fere gentium, in comminiscendis execrationum formulis, ingeniosissimi perhibentur bb), ita Regum quoque pejerantium exempla plurima nobis suppeditant. Ut ab ipso Wilhelmo Con-

B

quæ-

x) Brantome *Mem. de Grands Capit. de Fr. T. IV p. 6, 7, 24.* Confer Marville l. c.

y) Piasecius in *Chron. p. m. 43.*

z) De l'Etoile *Mem. pour servir à l'Hist. de Fr. T. II p. 15 & 17 & Vigneul Marville l. c.*

aa) Vigneul Marville l. c. p. 168.

bb) Spectat huc utique domesticum testimonium Jac. Hoelii, qui ita in *Famil. Lettr. Sect. 5 p. 13* disserit: *This infamous Custom of swearing I observe raiges in England more then anywhere els, though the German in his highest puff of Passion swears by a hundred thousand Sacraments, the Italian by the w-re of God, the French by his Death, the Spaniards by his Fleesch, the Welshman by his Sweet, the Irishman by his five Wounds, though the Scot commonly bids the Devill hale his Soul, yet for Variety of Oats the English Roarers put down all.*

quæstore ordiamur, tradunt Autores, eum vulgo *per splendorem & resurrectionem Dei*, BY GOD'S RESURRECTION AND HIS BRIGHTNES, jurare consuevisse *cc*). Wilhelmum II, seu Rufum, PER VULTUM DE LUCA frequentius jurasse, constat *dd*), quam jurandi formulam inter eas referunt, quæ per sacra & reliquias Sanctorum, quas inter vultum quoque Christi a Luca pictore depictum fuisse memorant, fieri consuevere *ee*). Cujus Frater, Robertus, Normanniæ Dux, PER ANGELOS DEI juravit *ee*). Stephanus PER DEI NATIVITATEM *ff*), Henricus II PER OCULOS DEI *gg*), Johannes nunc PER DENTES DEI, nunc PER PEDES DEI *hh*), Eduardus I PER DEUM *ii*), Richardus II PER JOHANNEM BAPTISTAM *kk*), Eduardus IV PER DEISACRAM VIRGINEM *ll*) & Richardus III *per conscientiam*, ON MY CONSCIENCE, *mm*) jurasse memorantur. De Elisabetha Regina relatum accepimus, eam sæpe Gallicis verbis, sed illepidâ pronuntiatione, jurasse: PAAR DIEU, PAAR MAA FOY, quam pronuntiationem cum traduxisse per satyram Buzanivalium, Gallorum quondam rem

cc) R. Baker *Chronicle of England* p. 30.

dd) Guilielmus Malmesb. *L. IV.*

ee) Lydius *L. V* p. 307.

ff) Guil. Gemmetic *H. Norm. L. 3 C. 2.*

gg) Tyrrell *Hist. of Engl. T. II* p. 216. *it. Compleat Hist. of Engl. T. I* p. 126 *in not.*

hh) Tyrrell *L. c.* p. 311.

ii) Matth. Paris *ad A.* 1208. Baker *L. c.* p. 70.

kk) *History of Man* p. 131.

ll) Baker p. 147.

mm) *Id* p. 206.

nn) *Compl. Hist. of Engl. T. I* p. 179 *not.* & Baker p. 223.

rem in aula Anglica agentem, comperisset Regina, ita ea res animum illius (ut erat non iniqua sui aestimatrix) commovit, ut non Buzanvalio modo, verum & ipsi Protestantium causæ maximo propemodum fuerit præjudicio *nn*). Imprimis vero inter Reges Anglos ob pejerandi levitatem notatus fuit Jacobus I *oo*), qui, præter complures alias, has imprimis formulas, quas vernacula h. e. Scotica dialecto proferebat, *On my So'l & Swounds Man*, frequentissime adhibebat *pp*). Et hoc Regis exemplum tantæ fuisse auctoritatis apud Anglos, ut ex eo imprimis tempore nullum fecerint pejerandi modum *qq*). Ut ceteros ceterarum gentium Reges prætermittamus, tacere non possumus Popielum, Poloniae sive Regem sive Ducem, quem se suosque sæpe muribus devovisse, &, quoties aliquid affirmare vellet, ITA ME GLIRES DEVORENT, exclamasse, atque ita votum tandem insanum in filio Popielo II & nepotibus imple-

B 2

tum

- nn*) Aubery du Maurier *Mem. pour servir à l'Hist. de Holl.* p. 213.
oo) Lubet huc referre, quod de eo observavit elegantissimus Anglorum historicus, Laur. Echard *Hist. of Engl. T. I* p. 966. Nimirum cum pacta matrimonialia inter Carolum, filium, & Principem Hispanicam jam signata & ab ipso Rege & Principe jurejurando solenni confirmata accepisset, adeo de ea re persuasus sibi videbatur, ut in hæc coram Ministris quibusdam verba erumperet: *Now all the Devils in Hell can not break the Mariage*, i. e. Jam omnes, quotquot sunt in inferno, Diaboli matrimonium solvere haud valent; quibus auditis quidam adstantium lepide insurrebat: *There was never a Devil left in the Hell, for they were all gone into Spain, to make it up* i. e. nullus nunc Diabolorum in inferno residet: omnes enim ad unum in Hispaniam profecti sunt, ad illud conciliandum.
pp) Baconiana p. 55 it. 56 & Coke's *Detection of the Court and State of Engl* p. 62.
qq) Coke *l. c.* p. 151.

*Forse da
applicandus:
a, fa mer
fate, subin-
ellige, folpe
n, fo mir gott
septe.*

tum esse. Scriptores hujus gentis plerique omnes testantur *rr*). E Ducibus insuper unum nominamus Henricum, qui primus Ducis axioma in familiam Austriacam intulit A. 1156, nobilissimi historici Ottonis Frisingensis fratrem, qui, cum identidem dictis suis fidem facturus, hac formula paulum detorta, JASAMMER-GOTT, quasi diceret, *ita me Deus adjuvet*, uteretur, nomen vulgo nactus est Henrici *Jasammergott ss*). Jam ab his saltum facturo ad actum, quem paramus, philosophicum, Philosophorum quoque veterum jurandi formulas singulares edisserere proclive esset, ut Socratis, qui, ut absurdos Atheniensium Deos rideret, non modo PER HIRCUM & ANSEREM, sed & frequentius PER CANEM juravit (unde, cum canis raro conveniat cum fele, Italus quidam Xantippen contra jurasse PER FELEM, haud absurde finxit *tt*); Socraticorum, qui per ipsum Socratem *uu*), Pythagoræ, qui PER AQUAM ET AEREM *xx*), ejusque discipulorum, qui PER QUATERNIONEM Magistri sui, quo *Mentem, Scientiam, Opinionem & Sensus* referebant *yy*), & Zenonis Cittixi, qui PER CAPPARIM jurabat; qua voce hodieque Itali, ceu interjectione quadam, utuntur *zz*). Sed ad rem ipsam accedimus, pro-

- rr*) Cromerus *H. Pol. L. 2 p. 26.* Herburtus de Fulstin *f. l.* Connor *H. Pol. p. 21, alii.*
ss) Zeiller. *Itin. Germ. p. 157 & alii.*
tt) Menag. *Observat. in Diog. Laert. T. II p. 93.*
uu) Alex. ab Alex. *L. V. c. 10.*
xx) Montagne *Essais L. XIII p. 886.*
yy) Alex. ab Alex. *l. c.* & Lydius *de Jur. p. 302 sq.*
zz) Athenæus *L. IX C. II* & Montagne *l. c.*

producimusque Juvenes Studiosos numero triginta, de quibus PER APOLLINEM ET NOVEM MUSAS asseverare possumus, eos in elegantiori literatur ac Philosophia sobria diligentiam studiumque suum, instituto rite examine, nobis abunde probasse. Sunt vero

- I. CHRISTOPH. ERNESTUS GROSCH,
Angermunda March. Pastor Gloicensium in
Ducatu Magdeb.
- II. ADRIANUS STEGERUS, Lipsiensis.
- III. JOH. FRIDERICUS CRELLIUS, Lipf.
- IV. ANTONIUS GUILIELMUS Blas, Lipf.
- V. ERNESTUS FLORENS RIVINUS, Lipf.
- VI. CASPARUS BOSE, Lipf.
- VII. FRIDERICUS OTTO MENCKENIUS,
Lipf.
- VIII. PAULUS CHRISTIAN. SCHULZIUS,
Marck-Kleeberga-Misn.
- IX. JOH. CHRISTOPHORUS *Hebenstreit*,
Neostad. ad Orlam Var.
- X. FRIDER. CHRISTOPH. PRÆTORIUS,
Neostad. ad Orlam Var.
- XI. BALTHASAR *Hoffmann*, Bojanova Pol.
- XII. GOTHOFREDUS *Hoffmann*, Lommacio
Misnic.
- XIII. JO. FRIDERICUS HEINIZSCH, Pegav.
Misn.
- XIV. CAROLUS *Gottlob Hoffmann*, Schneeberga
Misn.
- XV. ADOLPHUS FRIDERICUS *Hoffmann*,
Leisnic. Misn.

XVI

- XVI. FRIDERICUS *Gottlieb* CYRIACUS,
Islebia-Saxo.
- XVII. JO. CHRISTIAN. LANGIUS, Dresd.
- XVIII. SAMUEL FRIDERICUS *Punschel*, Lei-
pnic. Misn.
- XIX. JO. LUDOVICUS *Heim*, Hermannsfel-
da-Henneberg. Francus.
- XX. JOH. *Gottlieb* GOELLNERUS, Suhla-
Henneberg. Francus.
- XXI. JO. HENRICUS BEHR, Berol. March.
- XXII. JUSTUS GOTHOF. RABNER, Lipf.
- XXIII. AUGUST. FLORENS RIVINUS, Lipf.
- XXIV. CHRISTIANUS ADOLPHUS OTTO,
Nizschwicenfis Misnicus.
- XXV. FRIDERICUS *Gottlieb* A BROKE, Al-
tenburgo-Thur.
- XXVI. PHILIPPUS SAMUEL GIERING,
Schwarzenza-Polonus.
- XXVII. JOHANNES JARCKE, Stadenf. Saxo.
- XXVIII. GEORGIUS CHRISTOPH. SCHLÆGER,
Cunewalda-Luf.
- XXIX. GOTTFRIDUS HERINGIUS, Plavia Var.
- XXX. JO. SAMUEL FUCHS, Bifchoffsw. Misn.

His itaque cum in solenni Panegyri, futuro die XV.
Febr. supremam in Philosophia Lauream, ab Inclyta Fa-
cultate nostra decretam, imponere constitutum sit, Re-
ctorem Academiae Magnificum, Illusterrimos Comites,
ceterosque utriusque Reip. Proceres & Cives decenter
& obnixe rogamus, ut huic Actui decus & splendorem
sua praesentia foenore haud dedignentur. Dab.

Domin. *Esto mihi* A. M DCC XXV.